568 Elcock N.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

MORBO VENEREO

COMPLECTENS.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

NICOLAUS ELCOCK,

HIBERNUS,

Societ. Chir. Phyſic. et Phyſic. American.

Nec non

Chemicae Socius.

SURGEON GEN'LS OFFICE LIBRARY.

Sperate miſeri, cavete felices.

Pridie Idus Septembris, H. Lo. S.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

VIRO EXIMIO,

JOHANNI PURCELL,

Artem ſalutiferam,

Dublinii feliciter exercenti,

Non minus propter ingenii acumen,

Et in omnibus,

Quae ad medicinam pertinent,

(Praecipue in re anatomica)

Peritiam,

Quam propter animum humanum,

Atque erga omnes benevolum,

Inſigni;

Hanc Diſſertationem,

Ut ſummae obſervantiae

Teſtimonium exiguum,

Olim ejus Diſcipulus

Dat dedicatque,

NICOLAUS ELCOCK.

Doctor Monro

with sincere Wishes for his
success from his friend
& humble Servt

Nich. Flood

SURGEON GEN'LS OFFICE
LIBRARY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

MORBO VENEREO

COMPLECTENS.

ALMÆ hujus academiae inſtitutis, quod ad medicinae ſummos honores conſequendos, obtemperaturus, de morbo venereo pauca differere, et breviter ejus diverſas conditiones ſeu ſtadia perſtringere volo: ad hoc equidem tentamen praecipue adducor, quia vix alius eſt morbus ullus, de quo obſervantia propria ſuppeditavit plura, vel etiam de quo tot et tam inſignia mihi videre contigit.

Non mei eſt de ejus origine, in cujus indagationem operae tantum impendere medici, multa proferre; ſed curationem ejus ſpectans eam praecipue tractare.

Vix dubitari poteſt, quin iis, qui cum Columbo navigarunt, debeatur lethifera illa rabies, qua tanta in noſtris plagis ſaeviit hicce morbus, ut etiam fere ad internecionem humanum

genus delere minaretur: ſed aeque ac de hoc, non dubitari poteſt, quin fuerint apud mortales, in ſeculis multo antiquioribus, mala venerea, ſaltem genitalium ipſorum; quod equidem facile patebit cuique legenti ſcripta veterum, praecipue vero Celſi, *obſcoenarum partium vitia* tractantis, atque inter caetera illorum, quae apud nos phymoſis et paraphymoſis audiunt, rectam mentionem facientis: Aſtruc praeterea, cum omnia quae de hac re narrantur in unum contulerit, Joannae, cui apud Neapolin ſummae res fuerunt antequam Columbus navigavit, recenſuit decretum, a quo docemur (nec ambigi poteſt) morbum talem tunc extitiſſe.

Aſtruc revera, quanquam huic ſententiae repugnans, talia (me judice) nihilominus protulit, qualia hoc malum nunquam non hominibus defuiſſe probant.

Quae ſit contagionum indoles parum novimus; at pro certo habemus, quod res quaedam acerbitatem earum vel exaſperent vel demulceant; atque opiniones de illa diverſae exinde ortum ſuum traxiſſe videntur: Etenim non didicimus, quod Americae, vel illius inſulae, a qua Columbi nautae hanc labem reportarunt, incolae affecti ſunt eo modo, quo illi; nec equidem, perpenſis omnibus, verisimile videtur; ideoque conditioni alicui, quaecunque fuerit, habitus eorum corporum afficienti, referenda videtur illa aſperitas, qua advenas adorta eſt; immundities, victus pravus, aliaque cum morbis (ſcorbuto, lepra, ſcilicet, &c.) conjuncta, viro haud aliter maligno inficiendi facultatem eximiam, praecipue vero apud homines confertos, ut in navibus, vel in caſtris et oppidis obſeſſis, ut praeberent oportet. Atque tali ratione vellem ut explicetur, quod morbus venereus nequaquam tunc primo apud nos propagatus eſſet, ſed quod virus antea genitalibus infeſtum, a validioribus

lidioribus tunc temporis causis excitantibus adhibitis, iram insolitam concepisset: nec sola haec explicatio; cum ea enim congruunt typhus et pestis, variolae discretae et confluentes, atque etiam hujus ipsius morbi gonorrhoea et siphilis; nempe, eadem ex stirpe, et violentia sola discrepantia.

Nec dubium est, utcunque et medici et alii refpuant, hunc morbum, a Columbi tempore, et vires jam remisisse et quotidie remittere; festinantem scilicet ad ejus priorem conditionem, sub qua partium solummodo quarumdam erat; et eas, credo, ut proprias tenebat: Quamvis enim magis crebro fortasse, quam unquam antea, hic morbus occurrat, mitior tamen est hodie, quam olim; nec argumento hujus opus est validioris, quam si gonorrhoeam frequentem cum multo rariori lue conferamus; et non solum ad curandi modum, sed quoque ad illam facultatem nociva expellendi, qua pollent solida viva, rationem habeamus.

In huic malo succurrendo semper multum valuit hydrargyrum; ast suspicio mecum est, quod hydrargyri nimium, multa non morbi propria, sed ei temere adjudicata, induxerit: in istis plagis, a quibus ad nos propagari dictus est, vegetabilia remedio sunt; et in regionibus Australibus, eis similia, ut decoctum Lusitanicum; quod etiam apud nos aliquando profuit: mira quoque commoda praestitit opium in America, inter bellum, quod ibi nuperrime saeviit, Germanis ex Hassia istis ibi militantibus, quos Michaelis curabat. Et quanquam in hisce nostris insulis tentamina similia parum ex votis cesserunt, sperandum est, illa meliorem hanc labem curandi modum indicatura, adeo ut minus adhuc humano corpori infesta fiat: Jam constat enim, quod ab opio rite adhibito, hydrargyrum non solum certius et citius effectus suos contra hunc

morbum

morbum edat, ſed etiam quantitate multo minore negotium abſolvat.

Haud leves inter medicos, an ulcus et gonorrhoea, ab uno eodemque veneno vel diverſis, prognata ſint, fuerunt agitatae lites: iis, qui diverſa eſſe contendunt, argumento fuere, quae ſequuntur; nempe iſtos duos morbos longe diverſis temporibus et in Europa et in inſula Otaheitaea prorupiſſe; luis ipſius ſigna per multos annos ante gonorrhoeam extitiſſe; ambabus praeterea diverſa medendi conſilia neceſſaria eſſe, utpote quarum illa hydrargyrum poſtulat, haec nequaquam. Sed res haud paucae huic doctrinae obſtant; id enim, quod in gonorrhoea profluit, vulneri admotum, et ulcus et luem ipſam procreabit; et id, quod ulceris eſt, in urethram inductum, gonorrhoeam movebit: virulentae praeterea gonorrhoeae neglectae, vel male tractatae in bubones et ſyphilida abibunt: nec propter aliquod, niſi diverſos ſitus diverſa remedia poſtulant; in gonorrhoea, videlicet, virus partibus ad ſecernendum aptis admotum, earum ſecretionem auget ſolam; et propterea organi ſecernentis proprium eſt, ſui ipſius ſaluti, materie nociva quamprimum generatur eliminata, conſulere: in ulcere autem virus, partem non ſecernentem inficiens, quia non abluitur, erodit; quo fit, ut vaſis abſorbentibus exceptum per corpus totum diſpergitur.

Attamen, quamvis affectionis utriuſque virus omnino, quod ad genus, idem habeam, id, ut alia pleraque, quaſdem potentiae ſuae varietates ſubire, et idcirco nunc plus, nunc minus valere cenſeo: hoc autem ab illo (ut muco, ſero, vel pure diverſe ſe habentibus) cum quo augente vel minuente ejus facultatem corpus afficiendi miſceatur, pendere videtur; ſic gonorrhoea fere non ulcere, ſed gonorrhoea inficit, et ulcus non

gonorrhoea,

gonorrhoea, ſed ſimili ſibi; quamquam retro poteſt verti ordo; et ulcus jam miteſcens gonorrhoeae pro ulcere poteſt eſſe cauſae; ſcilicet quia tunc virus minus aſperum evadit, vel (quod eodem ſpectat) non amplius cum humore tam acri, quam cum primo incurſu adeſſet inflammatio, confunditur: praeterea, ex his neutrum cenſeo, quum juxta finem pene in curationem abſolutam ceſſerit, tam acerbo malo, quam primis viribus, inquinaturum fore; ſed hoc corporis habitus multum afficit.

Hac ratione gonorrhoeam et in Europa, et in inſula Otaheitaea, ab eodem morbo pedetentim decreſcente, refluo jam et inclinato, trahere ſuum ortum autumare vellem; praecipue quia ſolidum vivum tandem contagionem omnem conficit, et ejus vires obtundit: atque in hiſtoria, quam de hoc morbo edidit Aſtruc, in locum ſignorum, quae pejora erant, etiam in Europa gradatim ſucceſſiſſe mitiora, bubonem et gonorrhoeam, invenimus; in inſula quoque jam memorata, eadem contingentia eodem ſpectant.

In variola enim ſponte prognata, exemplum fere quotidianum perhibetur, oſtendens, quod contagiones praeditae indole ſui propria, majori vel minori facilitate corpora afficiant, prout id, cum quo conjunguntur, plus minuſve tali facultate gaudeat: Variola etenim, cum primo graſſari incipit in graviori tempeſtate, ſaevit maxime, et plurimos eorum, quos tunc adoritur, interimit; gradatim exinde mitior evadens inclinatur, iſtos, quos in ejus decurſu corripit, lenius et exinde adhuc lenius afficiens; uſquedum, tempeſtate illa jam ferme elapſa, ſi vires, quas primo exercuit, cum iis, quae nunc adſunt, conferamus, pene expers periculi habeatur.

Inoculatio praeterea ſuppeditavit hoc vix refellendum argumentum cujuſdam viroſi neceſſarii, propter effectus ejus praeſtandos,

ſtandos, contagioni cuicunque ſpeciali; nempe quod, inficiente materie, vel in morbo jam decurrente, vel a puſtulis ejus quem mitiorem inoculatio facit, recepta, incertius morbus, quem velis, inducetur, et vice verſa. Hujuſmodi documentum mihi contigit; nam ad quandam puellam variolas inoculatione transferre bis terve conatus ſum fruſtra; ſcilicet, quia parentibus me, ut illas quam leviſſimas excitarem, obſecrantibus auſcultavi; et virus a leviter affectis ſumpſi: ſuſpicans autem poſtremo, quod cum tenella eſſet, iis affecta fuerat, nutrice parum advertente, ut rem ulterius proſequerer, a confluentibus materie ſumpta uſus ſum; inductus eſt morbus votis reſpondens, et convaluit puella cito; quamvis infans, a quo ſumpta erat materies, eodem eſſet extinctus.

Igitur cum ſolerti Johanne Hunter nequaquam conſentio; aſſeverat ille enim, quod oportet ut virus venereum unum et idem ſemper ſit; quod data materiei quantitas nec plus nec minus afficere poteſt, quam aliqua alia ejuſdem quantitas; quod effectus ab illa quantitate plus minuſve diluta varietatem non accipiunt; quod ſi venenum ad partem, cui admovetur, irritandam ſufficiat, nil ultra poſtulatur; et quod noxa eadem erit, an quantitas major an minor, et an mixtura valentior an tenuior, eam intulerit. De his autem, aio, ſententiis adducor multum dubitare; opinans, facultatem agendi, quamvis in omnibus, quod ad genus, ſimilem, poſſe, quod ad vires, inſigniter variari; ſunt enim gonorrhoeae lenes et acres; ſunt ulcuſcula quae paulum et multum inflammationis comitatur; eſt quoque ſiphilis extus; eſt quoque intus, afficiens fauces, cutem, vel membranam oſſium, vel oſſa ipſa corrodens. Objiciatur quoque gonorrhoea multo ſaepius, quam alia hoc morbo illata, occurrens; ut et illa, quae vir ſolers ipſe protulit; monuit

huit enim, quod ulcuſcula ſecundi ordinis, vel illa, quae a ſyphilide oriuntur, nec talis indolis nec viri ſunt, qualis illa, quae fuere primi ordinis, ſcilicet qualis illa, quae coli innaſcuntur, vel quae gonorrhoea ipſa infert. Haec autem omnia a veneno ulterius adhuc, quod ad vires, mutato profluere opinor.

SURGEON GEN'LS OFFICE LIBRARY

DE CAUSA MORBI ET PROPAGATIONE.

Venenum ſpeciale in humano genere ſolo natum, (non enim caetera, quantum novimus, animantia ei obnoxia ſunt) hujus morbi cauſa habendum eſt; hoc primum in organis genitalibus ortum, et per ea plerumque inter homines diffunditur. Non autem tam exquiſite contagioſum vel ſubtile eſt, quam antiquiores opinati ſunt; nec niſi ipſo contactu inficit: atque partium ſuperficies, quae ex contactu ejus inficiuntur, in varios ordines digeri poſſunt; de quibus equidem authores diverſe diſſeruerunt; ego autem non niſi eam, quae foraminibus abundat, animadvertam: Caeterae enim ſuperficies, ut glans, praeputium, labia pudendi, &c. nihil alia ſunt, quam eadem cutis tenuior; nec opinor, ſuperficiem ad ſecernendum aptam, virus ullo alio modo, quam irritando, afficere: Cutis ideo ſola, quam, vel vulneri vel ulceri virus admotum poſtea afficit, vel ipſam protinus, ſi tenuior ſit, corrumpit materiem ſui ſimilem gignens, ad meum negotium pertinet: non autem interea adultorum hominum cutem integram afficit; nec inter ulcera venerea manibus tractanda inficiuntur chirurgi.

In adſcitum et haereditarium dividi poteſt hic morbus; ſcilicet, in eum, qui a coitu vel quocunque alio contactu compa-

ratur,

ratur, et eum, qui a parentibus ad prolem demittitur. Prior, duas affectiones, quae *locales* nominantur, adfert, nempe gonorrhoeam et ulcus, ſignis ſuis propriis inſignita; atque tertiam toti corpori infeſtam ſiphilida, orientem a materie viroſa duarum aliarum abſorpta, et, poſtquam una cum humoribus aliquamdiu circumacta fuerit, alicui vel externae vel internae ſuperficiei adnexa; praecipue vero faucibus et cunctis quae circumjacent, vel forſitan pulmonibus, ut et oſſibus, atque eorum membranae, inſidente.

A parentibus eſt lues haereditaria, ſeu illa infantum; pater ſuam prolem inficit, non autem ſemine corrupto, ut olim exiſtimatum eſt (hoc enim veneno vacat ſecretum omne); ſed quia ſemen per urethram tranſeuns ſecum arripit id, quod ovum, ipſo etiam ejus primordio inquinat; hinc abortantur foetus putridi, et hinc in partubus ſigna venerea: Inter pariendum vero forte mulier tenerum ejus corpus, ulceribus quae apud genitalia ſint, contingentibus, infantem vitiet, et inde venerea cito poſt enixum ſubeuntia: nutrix autem luem communicat ſuam, non lacte, ſed aliquo ulcere os infantis contingente: vel exulcerato ore infans forte nutrici ſuae, vel ipſum morbum, vel alterum ei valde ſimilem tradat. Contactus modi equidem valde diverſi ſunt; hi autem frequentiſſimi, et forſitan omnes, ad quos advertere debemus.

Quaeſtio illa de ratione, qua virus urethram afficit, diu agitata fuit, nec hactenus de ea compertum eſt; noviſſima opinio (ſcilicet illa quam Dom. Hunter protulit) de eo a glande in urethram ſerpente mihi parum veriſimilis videtur: illa quam plerique amplexi ſunt, indicat, quod poſt ſemen emiſſum aliquid muci ad os urethrae manens inficitur, et poſtea collabente pene in urethram retractum, atque exinde ſuperficiei

ejus

ejus ſecernenti admotum, morbum ciet: Attamen neque haec opinio mihi cum vero ſtare videtur; ſi enim tali modo reciperetur virus, oporteret ut exulcerationes ſaepe ad extremam urethram conſpicerentur; hoc autem ne uni inter mille accidit. Quidam praeterea gonorrhoea laborant, quibus non efluxerat ſemen. Cujuſmodi mala duo contigit mihimet curare; etenim duorum virorum unuſquiſque infectionem timens, nec ſemine emiſſo, a veneris opere ceſſavit; ſed ambo ſaevum morbum acceperant; huic erat gonorrhoea ab urethra, illi vero a glande et praeputio fluens.

Quod ad meam ſententiam, virus nunquam urethram intrare opinor; ſed glande, quae ſpeciali ſtructura gaudet, abſorptum, et propterea ad interiora devectum, dum penis erigitur, exinde urethrae membranam et praecipue glandulas ejus ſtimulando, omnia, quae ad gonorrhoeam pertinent, excitare.

Atque ſic melius perhibetur ratio eorum, quae inſequuntur; namque virus ſe diffundens in corpus urethrae ſpongioſum inducit curvamen penis, et omnes affectiones veſicae, teſtium, et partium pubem circumjacentium, quas irritatio ſolet edere.

Aliud, quod priori opinioni objici poteſt, oritur ab inſigni profluvio, quod ſaepe intra paucas horas ſupervenit, quodque ſecum auferret venenum ei erumpenti objectum. Nec conſtat id quod huic ſententiae objicitur, praedicans actionem ſemel excitatam uſque continuari, ut in coryza; haec enim *generalis*, illa *localis* affectio eſt: Huic opinioni autem praecipue repugnat, ſi poſtuletur, quare virus non lymphaticis abſorbetur, ad inguen vel ſanguinem ipſum, devehendum. Si reſpondeatur, quod, quamvis revera multa docuit illuſtriſſimus Monro, reſtat adhuc explicandum, quare lymphatica hoc recipiunt, il-

lud recuſant; etiam in promptu eſt altera quaeſtio, cui vix in promptu reſponſum, ſed quae priori authoritatem praebet; ſcilicet, quamobrem gonorrhoea ſpuria inflammationem inſignem et ſecretionem majorem ciens, inter glandem et praeputium ſupra lymphatica, ad abſorptionem apta, non in hunc modum definit; vel quamobrem ex his affectionibus, non ſaepius oritur ſyphilis, quam ab urethra profluvio laborante.

A cel. Hunter prolatum eſt quoddam ſupra citatum memoria dignum, et, quanquam ſaepe occurrens, non antea ratiocinationi accommodatum; ſcilicet, quod ſemper ulcera ſecundi ordinis, vel ea, quae ab homine ſyphilide laborante communicantur, non ejuſdem indolis ſunt ac illa primi: nunquam enim in faucibus ulcera talia ſita glandulas cervicales tumefaciunt; neque eadem, in tibia vel ulna ſita, illas inguinis vel axillae. Iſtis adjiciatur, quod, qui lue laborat, ex iſtis ulceribus, non damnum locale accipit, quamvis facile accipiat ab iis, quae in alio homine primi ordinis ſunt. Notabile revera hoc, ſed non quantum debet inſectatum eſt; magni enim eſſet fieri certiores, an haec ulcera ſyphilitica, vel id quod ab iis profluit, ſanum hominem afficerent; et ſub qua forma morbus ſe manifeſtaret; ut et an afficerent alium jam ſyphilide laborantem.

Talia experimenta non ſolum huic morbo ſuccurrendo perutilia forent, ſed etiam, ſi virus venereum mutationi ſit obnoxium, oſtenderent, an ſtrumae et rachitis inter ſe affines ſint, et (quod equidem ſuſpicor) an unquam a venerea lue mutata iſtae affectiones oriantur; quae enim ſtrumas et rachitida ſignant, venereae luis reliquias valde ſimulant.

HISTORIA

SURGEON GEN'LS OFFICE LIBRARY

HISTORIA MORBI.

Hiſtoriam aggreſſurus, a gonorrhoea ſeu forma morbi, ſub qua partium ſolummodo quarundam eſt, exordiens, ad formam, ſub qua *confirmatus* apparet, ſeu ſyphilida progrediar; intereſt autem hic ut animadvertatur, quod duplex forma eſt, gonorrhoea et ulcus, ſub qua *localis* nominatur; ab harum poſteriori facilius oritur ſyphilis, quamvis a priori nonnunquam. Cum virus ſuperficiem ad ſecernendum aptam, urethram nempe, afficit, in diverſi habitus corporibus diverſa edit; qualia, ſcilicet, magni laboris eſſet recenſere, atque ex quibus propterea pauca ſolummodo magis notabilia memorabo.

Cito poſtquam inficitur, irritatio non omnino injucunda ad glandem et urethrae os percipitur, diffundens ſe; haec paulatim augetur, moleſtiam calorem et dolorem adferens; per omnia adjacentia, ut teſticulos, lumbos, pubem, et circum pelvin, quaedam moleſtia inſolita perſentitur; ſubeunt inflammatio et ſtillicidium ſerius ocyuſve; ſcilicet, inter octavam et viceſimam quartam, aliquando, ab infectione accepta horam; aliquando, non niſi poſt tres aut quatuor hebdomadas; fere autem inter tertiam et octavam diem. Stillicidium nunc, levi irritatione vix autem dolore praecedente, primo morbi indicio eſt; nunc moleſtia per aliquod tempus profluvii omnino expers permanet: et haec, donec alia ſigna ſe prodant, de mali natura dubitare faciunt; id eſt, uſquedum (in priori exemplo) inflammatio, dolor, &c. ſerius aut citius aggrediantur; aut (in

poſteriori)

posteriori) profluvium ipsum erumpat, et augeantur omnia mala; frequentior autem post profluvium inflammatio subit, glande scilicet tumente; ut et toto pene, quàsi aliquatenus erigeretur; vasis ejus quoque turgentibus, et ad ejus inferiorem partem subinde tumoribus glandularum exiguarum urethrae tractum obsidentibus; glande praeterea, proprio colore omisso, insigniter rubente, urethrae labris tumefactis et prominentibus. Aliquando toto glande, una cum praeputii interiore facie, deglupto, et quoddam purulentum, nomine gonorrhoeae spuriae insignitum, effundente. Istis adjiciatur, quod urina inter reddendum dolorem eximium infert, propter partes turgidas, et urethrae membranam ipsam inflammatione jam irritabiliorem; nec non propter metum nunc magis invadentem; cum ea quoque sanguis aliquando exit; saepius autem hoc, illi curvamini penis, quod *chordee* nominatur, adjungitur; quae quidem affectio conditionem genitalium inflammatam fere comitatur, penem, cum aliquatenus erigitur, deorsum vel oblique flectens, et noctu praecipue angens, nunc ab inflammatione nunc spasmis oriunda. Ingruentibus his variis signis, id quod profluit et colore et craſſitie mutatur; primo tenuior solito evadit; deinceps flavescit et spissescit; postea subviride fit, et non raro sanguine striatur; omnia illa in linteis, quae obvenerunt, optime conspiciuntur. Interdum, morbo sic se habente, largus sanguis profluit, partibus laborantibus levamen haud parvum adferens; sed, propter virus hinc absorptum, totius corporis morbo pervadendi periculum intentans. Aliquando hoc curvamen penis tamdiu, quam morbus ipse, perstat, nec, etiam cessante profluvio, evanescit; attamen fere nullo malo insequente paulatim conficitur; quanquam subinde urethrae et vesicae constrictis vel aliter male affectis causae sit.

In

In hoc morbi ſtatu, vel a caſu, vel conſenſu inter eas et alias partes intercedente, intumeſcunt teſtes, et exinde non amplius plerumque ab urethra profluvium emanat. Saepe cum his ſignis glans et praeputium nunc auctum et craſſius intumeſcunt: Poſterius autem hoc modo affectum, phymoſi vel paraphymoſi laborat; et, propter hanc, praeputium naturaliter glandem obtegens non retrahi; vel, propter illam, retractum ultra glandem iterum obduci recuſat; iſtae autem ſaepius inducuntur ab altera morbi forma *locali*, ulceribus nempe inflammatis; nec raro praeterea a gonorrhoea ſpuria.

Signa illa, eum per incertum tempus perſtiterint, tandem inclinantur, et fere eodem ordine quo progreſſa erant, feruntur retro; tempus per quod manent ex corporis habitu vel medendi ratione pendet magnopere; ſubinde, natura ipſa adjuvante, morbus tollitur; aliquando inter dies decem, nonnunquam autem non intra complures menſes, abſolvitur. Protrahitur praecipue a ſtillicidio ſuperveniente; diverſis urethrae pravis affectionibus, ut conſtrictione, laxitate nimia, inflammatione, et exulceratione, vel glandula proſtata morboſa facta; quae quidem non ſolum ſtillicidio cauſae ſunt, ſed etiam *ſequelis* ingratis.

Morbi decurſus a ſignis omnibus pedetentim miteſcentibus annunciatur; nempe dolore vel lenito, vel omnino ceſſante; pruritu ut ſub initium facto; lumborum laſſitudine non amplius moleſtante; glande penis ſolitum colorem recuperante; profluvio imminuto; et eo, quod effluit, pallidiori, magis albido, et craſſiori evadente, atque poſtremo deſinente.

Signa autem omnia, cum per aliquod tempus omnino evanuerunt, haud raro redintegrantur; ſed fere, ſi rite tractentur, iterum receſſura cito; foeminis hoc frequentius contingit; nec

facile

facile tale malum a fluore albo dignoſcitur; et equidem inter veram gonorrhoeam, atque ſtillicidium vulgare, ſaepe diagnoſis nequaquam facilis eſt.

Cum virus acrius eſt, aliquam partem cutis, ut glandem, praeputium, labia pudendi, &c. aggrediens, plerumque cietur inflammatio: fitque ea partium continuarum ſolutio, quae ulcus venereum appellatur. Quoniam vero talia ab immunditie, vel cauſis aliis, deglubari ſolent, non omnia, quae in illis obveniant, ulcuſcula venerea temere exiſtimari debent.

Triplex eſt forma qua venereum ulcus conſpici ſolet, ſcilicet, ulcere ipſo, veſicula aquea, et vaſe lymphatico inflammato. Ulcus facile recognoſcitur: veſicula ſaepe rumpitur, atque areſcens, habitum totius corporis inquinat; et inde dubitari poteſt, an malum locale unquam adfuerit; nec raro eryſipelatoſam faciem induit; aliquando profundum ulcus fit: vas vero lymphaticum per totum penem chordae ſimile, juxta ejus radicem deſinenti, et ad glandulas inguinis uſque porrectae, conſpici poteſt.

Serius ocyuſve in omni homine virus, ſi non arte tollatur, abſorbetur; et plerumque ad glandulas inguinis devectum, tumore, qui bubo nuncupatur, eas afficit; hic autem tumor non raro ſuppurans venereum ulcus efformat; atqui an ſuppuret, an retro cedat, vel quocunque modo ſe habeat, ab eo univerſi corporis inficiendi periculum haud leve adfert. Talis quoque tumor gonorrhoeam comitari ſolet, ſi urethra laeſa fuerit, vel ſi vehemens inflammatio anteceſſerit.

Quandoque glans et praeputium, ingenti inflammatione correpta, phymoſin et paraphymoſin, antea memoratas, patiuntur; iſtae autem in hac morbi ſpecie ſaepius, quam in altera, vexant, multum et moleſtiae et periculi (non raro enim in gangraenam

graenam definunt) secum adferentes, et idcirco summam medici attentionem vendicantes. Quandoque ab istis ulceribus virus proveniens recta in sanguinem devehitur inguinibus illaceſſitis; et, quod illustrissimus Monro saepe accidere monstravit, propter aliquod ex vasis lymphaticis glandulas ibi sitas non adeuns, praetergreditur illas; idcirco multo citius, quam si hae antea intumuerant ab eo, universum corpus infecturum: vel, ut opinati sunt multi, nullo ex solitis indiciis viso, cum sanguine, recta quum acceptum sit, confunditur. Syphilide sic enim laborarunt nonnulli, quibus, quantum ipsi noverunt, ne ulla partium quarumdam mala antea contigerant. Hujus ratio nequaquam in propatulo est; nisi, forte ponamus materiem, insigniter subtilem, exceptam fuisse: Hoc autem in modo infectio per totum corpus rarissime diffunditur.

Quum vero in corporis humores receptum fuerit venenum, per aliquod tempus una cum iis circumagitur; tandem vero deponitur in superficiem vel externam vel internam; saepius in priorem: fauces praecipue, propter consensum inter eas et genitalia non facile explicandum, appetit, et in illis prae aliis partibus virosas suas dotes manifestat; etenim exulcerat illas; uvulam et velum pendulum palati absumit; molle palatum et osseum erodit, ut et narium ossa, foedam et inhonestam deformitatem efficiens: quandoque autem, superficiem magis interiorem aggrediens, ossa cum eorum membranis vestientibus nodosa et carioſa reddit; ne alicui ossi parcens, quamvis duriora praecipue infestet, una cum membranis suis et tendinum vaginis; atque hunc in modum exhibet omnia quae hyperostoses, exostoses, tophi, nodi, et ganglia, scriptoribus enumerata, significant; rarius autem hodie quam olim.

Saepe

Saepe virus venereum in cutem eliminatur, praeſertim ad capillitii radices; in frontem, coronam veneris efformans, et puſtulas rite venereas; cuticula nec non ab iis decidente, detegitur cutis ſubtus, fuſco vel cyprio colore imbuta; qui color equidem mala venerea ſignat; ſed exinde puſtulae, adhuc altius inſidentes, ſquamis furfuraceis perpetuo decidentibus, linquunt ulcera in diverſis partibus, quibus orae ſunt inſigniter craſſae et calloſae, quaeque facilius aſpectu, quam ulla deſcriptione, cognoſcuntur.

Dolor, qui omnes affectiones rite venereas comitatur, praeſertim vero illas, quae oſſium ſunt, noctu praecipue ſaevit; et calore externo, quocunque modo adhibito, exaſperatur: hoc vero, quamvis fere non ſemper, accidit.

Poſtquam in corpus receptum fuerit virus, et quum non adhuc ex aliqua parte proruperit, interdum omnia, quae febres comitantur, caloris et frigoris vices alternantes, et praecipue dolorem capitis, vertiginem, et aurium tinnitum edit: tempus, per quod haec manent, incertum eſt, corporis viribus, et multis aliis variatum, uſquedum morbus propriis ſuis indiciis alicubi ſe palam ferat: Attamen ſaepius, praegreſſis nullis vel paucis ex ſignis ſupra memoratis, ſyphilis ipſa corripit.

Sive autem hoc virus pulmonibus, qui, quoniam aëri patent, externa ſuperficies habeantur, unquam inſideat, proinde phthiſin illaturum; vel iterum, ſive aſſidue irritando, opportunitatem, quae corpori antea fuit, ad tubercula generanda inſtiget, parum mihi notum eſt: ſed, quoniam plures a phthiſi, hac cauſa, quam aliis, inducta, convaleſcunt, priorem ſententiam praealtera amplecti adducor.

Praeterea, cum aliquis ſyphilide laboraverit antea, morbi complures

complures quorum cauſae latent, ei plerumque adſcribuntur; merito, an non, ſtatuere difficile eſt.

DIAGNOSIS.

Quando vel gonorrhoea vel ulcere, vel iis ſignis quibus haec cauſae ſunt, ſe manifeſtans hic morbus quarumdam partium proprius eſſe videtur, ſine magno negotio ab aliis morbis diſtingui poteſt; aegrius autem cognoſcitur, quum ſyphilis ſupervenerit, defecerint autem, quae illam ſignare ſolent.

Gonorrhoea *virulenta* a *benigna* diſtinguitur, dolore, inflammatione, et ardore urinae, profluvium ejus praegredientibus, comitantibus, aut inſequentibus. Benignae enim nihil talium adeſt, vel leniter afficit: Diſcriminis indicio, in quo multum fidei reponendum, ſunt earum diverſae cauſae.

At in foeminis, quia partes illis hominum diſſimiles ſunt, diagnoſis multum impeditur: ſaepe enim morbus omnis vaginae eſt ſoli, nec multum doloris exinde excitatur: cum vero urethra et aliae partes laborant, dolor firme aequat illum qui viros moleſtat.

Inter hunc autem et fluorem album multo magis adhuc impeditur diagnoſis; attamen plerumque idonea cognitio rerum quae anteceſſerunt, vel una adſunt, valetudinis qua antea fruebatur aegra, temporis per quod duravit morbus, et ſignorum narratio ſincera, ad eam expediendam ſufficient.

Stillicidium ſaepe non-ſine multo labore a vera gonorrhoea diſcerni poteſt: non enim notae huic efficiendo pares ſemper

adſunt; quales nempe monſtrent, an virus ſtillicidio immiſceatur: Color autem et ſpiſſities ejus, quod profluit, collata cum tempore per quod effluvium manſit, et immunitate ab omni inflammatione et dolore, diagnoſin perhibebunt: Sed, quia hoc a diverſis urethrae vitiis ſaepe oritur, neceſſarium erit, ut urethra inſtrumento, vulgo *bougee* nominato, exploretur.

Tumor, quem hoc virus irritans in teſtibus efficit, facile ab illo, quibuſcunque aliis irritationibus facto, profluvio et dolore comitantibus, vel recta praeeuntibus dignoſcitur; ut et profluvio ſubito intercepto et eum ſubinde generante. Nec raro phymoſis et paraphymoſis, pene et glande affectis, inflammatione, a gonorrhoea ſeu ſpuria ſeu virulenta, ſeu ulcere prognata, indicantur: et haec omnia ſaepe illa penis flexura, quae *chordee* vocatur, ſtipat.

Cognoſcitur autem bubo venereus, a gonorrhoea vel ulcere natus, ab hoc, quod iſtae affectiones, vel cum eo adſunt, vel nuperrime ante eum diſceſſerunt; et ab aliis inguinum tumoribus, ut a deſcenſu teſtium, hernia, lumborum abſceſſibus, arteriarum aneuriſmatis, bubone qui criticus audit, ex aliis morbis oriundo, atque tumoribus ſtrumoſis, diverſis cauſis unde forte talia proveniant ſedulo inveſtigatis, hi internoſci debent: Atque revera omnes affectiones organorum ad urinam pertinentium, cognitione ſignorum, quae antea apparuerant, et medendi rationis ad iſta repellenda (ſed e qua forte oriantur) antea uſurpatae, an a cauſis venereis, an aliis proveniant, cognoſci poſſunt.

Dolores venerei ab omnibus ferme aliis diverſi ſunt, tum quod ad partes, quas praecipue occupant, tum ſaevitiam ſuam noctu, vel admoto calore externo, auctam; non autem ab his diſcrimen

discrimen semper patet; saepe enim, praesertim sub initio, rheumaticis similes sunt; nihilominus quales sunt affectiones *locales*, vel antea vel simul obvenientes, indicabunt: nec parum hanc diagnosin juvabit noscere, quod praecipue infestant durissima ossa, et eorum mediam partem; nodi, &c. praeterea saepe subeunt ad hanc stabiliendam sufficientes solae. Quod ad vertiginem, dolorem capitis, et aurium tinnitum, aliaque signa abnormia, de iis ex horum historia judicandum est. Cum vero dubia supersint, si mala curationi syphilidis propriae cedant, indicio haud dubitando erit; quia alia ab ea non commodum, sed potius incommodum, accipiunt.

EXPLICATIO SYMPTOMATUM.

Haec singulatim recensere supervacaneum habeo; omnia enim, quae a veneno speciali admoto vel absorpto oriri solent, ex antea dictis patebunt.

SURGEON GEN'LS OFFICE LIBRARY.

PROGNOSIS.

Hodie, quoniam hujus morbi curandi ratio, et effectus, quibus ab eo corpus obnoxium est, multo melius quam olim intelliguntur, faustum eventum fere semper licet augurari. Nostro enim aevo raro lethalis fit, quamvis olim stragem insignem edidit. Hoc commodum nostrae aetati praecipue praestitit

scientia

ſcientia hydrargyri, huic morbo ſublevando adeo neceſſarii, rite et modice adhibendi, ac effectus ejus opio interpoſito et temperandi et adjuvandi.

Scorbutici, ſtrumoſi, hectici, atque ii qui debilitate magna laborant, ut et ii quibus nimium adhibitum eſt hydrargyrum, ex hoc morbo pejora, quam alii, patiuntur.

Nec medico paulum inquietudinis adfert idioſyncraſia, ſeu quoddam cujuſvis proprium quod ad hydrargyri vel opii effectus.

SURGEON GEN'LS OFFICE LIBRARY.

RATIO MEDENDI.

Diverſae, imo inter ſe diſcrepantes, ſunt rationes medendi, quae, cum virus gonorrhoeam inducens affecerit urethram, diverſis medicis in uſu fuere; hi enim tonum minuentia laudant; illi ſtimulantia; dum alii antiphlogiſticis utuntur; quae omnia forte proficiant: Nempe illa ratio, quae atoniam molitur, quaeque recentior eſt, ſedantibus adhibitis, ut opio, et extrinſecus et intrinſecus: Illa quae ſtimulat, talibus injectionibus quales, profluvio per aliquod tempus aucto, morbum celerius ad finem perducant; quae ratio quidem ſaepe utilis eſt; at poſtulat ut corporis habitus cognoſcatur, et ut caveamus ne inflammatio inde oriens nimia fiat, quod non facile eſt in iis qui ad illam ciendam opportuni ſunt; ideoque, ut effectus idoneos praeſtet, ratio iſta non niſi ante eam valde accenſam convenit; ei reſpondent hydrargyri praeparata, et alia ſtimulantia: Refrigerantia, cum per totum morbum regimen antiphlogiſticum adhibetur, pro ratione tertia proſunt.

In quibuſdam, morbus facillime, vel etiam ſponte, tollitur; in quibuſdam non ſine magno negotio. Quoniam vero pertinacior morbus non per totum ejus curſum unum eundemque tractandi modum noſcat, eum in tria ſtadia, ſcilicet, inflammationis, irritationis, et atoniae, diſtinguam; et tria illis reſpondentia curandi conſilia ſubjungam; i. e.

1*mo*, Ut tollatur inflammatio;

2*do*, Ut occurratur irritationi;

3*tio*, Ut renovetur tonus.

Atque oportet ut ratio ad haec tria habeatur; quamvis enim multi praedicant morbum, cum *localis* eſt, remediis *localibus* ſolis ideo tractandum, nihilominus in affectionibus hujuſmodi *localibus*, magis etiam quam in ſyphilide, experientia monuit, ut corporis habitum reſpiciamus. Ut inflammatio tollatur, regimen antiphlogiſticum omnino neceſſarium eſt; mittendus eſt ſanguis a brachio, vel a parte affecta hirudinibus; ſed hoc non neceſſarium, niſi cum inflammatio vehementior eſt; leniter ſolvenda alvus; diluentia, quae, praeſertim ſi aegri guſtui jucunda ſint, diuretica antecellunt, large aſſumenda; qualia ſunt ptiſana, et alia ſimilia; nitrum, et quodcunque niſi ex quantitate urinam moveat, nocet; ea enim recte diluunt quae urinam minus acrem reddant, nec nimium ejus organa irritent. Quies praeterea imperanda eſt; teſtes ſuſpendendi; et omnia quae irritent ſedulo evitanda. Summa equidem cura in hoc ſtadio utendum eſt; ab eo enim praecipue pendent omnia, quae forte inſequantur. Optimum locale remedium habeo, ut aqua tepida ſaepe partes morboſae laventur, et ut eadem crebro indies in urethram injiciatur; et, ſi recte de viri ſede judicavi, hoc modo lavare effectum optimum adfert; qualem exinde egomet plus quam ſemel revera obſervavi.

Quidam

Quidam mucilaginoſas, oleoſas, et ſimiles injectiones, commendant; meo autem judicio, aqua ſola ubique eorum auxilia aequabit.

Cum inflammatio paululum ſubſederit, morbo jam miteſcente, ad ſecundum conſilium noſmet recipere licet; huic foeliciſſime adaptatur * opium ubicunque adhibitum; granum ejus unum vel alterum, aut tantum tincturae ejus, quantum aequet illa, hora ſomni aſſumpta; ſcrupulo ejuſdem cum aquae ſex vel octo unciis ſoluto, et una cum paucis *Goulard extracti* guttis, diverſis temporibus in urethram injecto, plerumque hoc ſtadium conficiet; nec ut ad conſilium tertium confugiamus opus erit.

Quandocunque autem et hoc neceſſarium evaſerit, injectiones tonicae et aſtringentes, cum medicamentis eodem ſpectantibus, convenient; oportet autem, et ante haec adhibita, inflammationem omnino ſublatam eſſe, ut et virus deletum pro certo habeamus. Sunt varia medicamenta, et vegetabilia et foſſilia, quae eodem conſilio uſurpantur, ut balſama compluria, gummi, cortex Peruv. vitriola varia, alumen, et alia: attamen plerumque ſufficient cortex Per. ore aſſumptus; et vitriolum album, vel ſaccharum ſaturni, in urethram immiſſa.

Si quando profluvium ceſſans, ebrietate, exercitatione, aut quocunque alio, vel (ut ſaepius accidit) in iis qui facile irritantur, nihil tali praegreſſo, redintegratur, plura vel pauciora illorum, quae ad priorem morbum pertinebant, ſecum adferens, conſilio jam memorato paulo diutius continuato, plerumque evaneſcet.

Inflammatione

* Vide celeber. Culleni primae lineae.

Inflammatione usque progrediente, citius seriusve constringitur et curvatur penis; crucians hoc, et ad quod levandum sanguis e brachio mittendus, ut et hirudinibus a partibus affectis; quidam fomenta et cataplasmata calida commendant; dum alii repudiant, et in eorum locum cataplasmata frigida ex pane contrito et aqua vegeto-minerali sufficiunt; ac tractari quidem debet haec affectio, quasi vel inflammatione vel spasmo, (ab utroque quorum subinde oritur, sed saepius sub initium a priori), penderet; insigniter autem proderit, praecipue post venaesectionem, et caetera, opium ore, injectione, et cataplasmate adhibitum: vel, si omnino spasmo pendeat, opium solum sine *evacuationibus* idem praestat: vel, si haec lympha effusa in urethrae corpus spongiosum inducatur, et diutius perstet, unguentum mercuriale, adjuncta camphora, urethrae tractui applicatum utile erit; si vero ab *irritabilitate*, opium hora somni, et cortex Peruvianus per diem, ejus receſſum accelerabunt.

Haud raro, cum immanis fit haec penis curvatio, vesica ipsa laborat, et urinam reddendi difficultas adoritur; quae affectio plerumque eidem curationi cedit cui prior, clysmatis scilicet opio confectis, balneo calido, si necesse est, et opio non parco assumpto; epispastica lumbis vel perinaeo admota morbo pertinaciori et diuturniori utilia fuerunt.

Hernia humoralis frequenter huicce malo adjungitur; et affectio est sympathica ab irritatione oriunda, et ex omni gonorrhoea saeviori timenda, magisque adhuc, si antea eadem infestaverit; at praecavenda est testibus confestim suspensis, exercitatione et omni irritatione vitata, et resupino decubitu; si vero ingruat, venaesectio larga a brachio facienda, et sanguis

a parte affecta hirudinibus detrahendus; illam quoque fovere, atque cataplasmata calida imponere prodest.

Hic praeterea quidam * laudant cataplasmata frigida, ex pane contrito, cum saccharo saturni soluto, vel aqua vegeto-minerali confecta, ut et lintea ex aceto: autem opinor, frigus partibus adeo teneris admotum posse periculum adferre, praecipue sub initium.

Emetica diu non sine fructu usurpata sunt, propter consensum insignem, qui inter ventriculum et genitalia obtinet: et forsitan emetica ex stibio, *mercurio emetico flavo* plerumque usurpato, anteponenda sunt.

Quamdiu inflammatio perstat, hydrargyrum utcunque admotum repudiari vellem; quanquam, inflammatione jam recessa, adversus nimiam magnitudinem partium proficiat, cum hae affectiones diuturniores sunt.

Sub initium, opium, adeo omnis irritationis sedans, non praetermittendum est.

Testibus tumentibus, fere profluvium cessat; vel, cessante profluvio, tument testes; sed utrum horum alteri causae sit, parum constat. Qua ratione, ut tumorem sedarent, aliqui profluvium renovare conati sunt, irritata urethra instrumento illo quod *bougee* appellatur, vel veneno venereo tincto vel non, inserto; qualecunque autem sit, periculo non vacat; quia ab eo ipso testes tumere solent.

Quod ad duritiem testis et epididymidos sublevandum, hydrargyrum praecipue pollet; si autem strumosus sit aeger, forte cortex Peruvianus, cicuta, et mezereon adjuvent; praesertim

* Dr Simmons on gonorrh.

ſertim ſi tumor quaſi ſchirroſus videatur: ſcintilla quoque electrica interdum profuit.

Quandoque hic tumor decedens, pro teſte et epididymide durioribus relictis, molliores reddit, adeo ut imminutae videantur; plerumque frigida aqua ad ipſas partes et corpus univerſum applicata, atque caeteris tonicis internis, ſublevatur haec affectio.

Atque revera partium affectarum et irritandi facilitatem, et morboſam indolentiam curatio reſpicere debet; juvant adverſus priorem opium, cicuta, mezereon, et ſimilia; adverſus alteram hydrargyrum, ſcintilla electrica, et quaecunque ſtimulant.

Gonorrhoea autem, utcunque tractata fuerit, ſaepe in ſtillicidium deſinit, praecipue poſt alvum nimis ſolutam; oritur autem ab aliis cauſis, ut urethra conſtricta, vel exulcerata, caruncullis, vel glandula proſtata morboſa: Quoniam vero haec omnia, inſtrumento *bougee* appellato, rite utendo curari oportet (fateor autem multa urethrae vitia, ab hoc intempeſtive uſurpato, praeſertim recrudeſcente morbo, ortum ſuum trahere,) hic praetermittam; et ſolummodo ſtillicidium, quod a nimia laxitate, vel urethrae ad ſecretionem nimia opportunitate, oritur, tractabo.

Ut facilius applicetur *bougee*, multi in urethram aliquid opii ſoluti injiciunt; et, atonia ſubeunte, canula inſeritur facile, praecipue ſi difficultas a ſpaſmo orta eſt.

Quia hoc profluvium praecipue e corporis habitu pendet, balneo frigido, victu idoneo, et aliis, illé roborandus eſt. Injectiones vero multae et variae, imo diſcrepantes, profuere; nempe ſedantes, aſtringentes, irritantes, et tonicae.

Plerumque, cum roboratus eſt corporis habitus, cuicunque ex his in urethram injectis, ut vitriolo albo, ſaccharo ſaturni, alumini, gummi aſtringentibus, &c. cedet malum, balſamicis interea vel terebinthinis, ut capivi, Canadenſi, &c. ut et cortice Peruviano, ore aſſumptis; nec raro illud inſtrumentum *bougee* proderit, utpote quod, ſtillicidio per aliquod tempus augendo, id citius ad finem perducit; quod quidem ſaepe praeſtitit unguentum *mercuriale* urethrae applicatum: Hydrargyrum quoque ore aſſumptum aliquando neceſſarium erit; ex quo, mutata jam partium indole, medicamentis poſtea adhibendis facilius vitium profligabitur: Perſeverare oportet praeterea aliquamdiu in uſu cujuſcunque injectionis, quae prodeſſe videatur, etiam poſt ſtillicidium coercitum, ne poſtea redeat.

Epiſpaſtica, nonnunquam perinaeo vel urethrae impoſita, et ſcintilla electrica, omnibus aliis rationibus irritis, adjuvant: Oportet autem, inducta ſemper canula, ut de urethrae conditione certiores fiamus, ut et quomodo urina redditur; forte enim ab aliqua ex cauſis antea memoratis oritur vitium.

Foeminis, ad formam genitalium diverſam ratione habita, eadem convenient; illae enim ut mares binis gonorrhoeis obnoxiae ſunt; externae, os urethrae, clitorida, et labia pudendi afficienti; et internae vaginam fere ſolam occupanti; quae, quamvis eidem curationi, cui in maribus, cedant, inter ſe diſtinguendae ſunt: interior autem, quia cum leucorrhoea aliquando confunditur, et propter id mulieres hoc vitio etiam per annos laborare dicuntur, majorem curam poſtulat; ad hanc fugandam neceſſariae ſunt injectiones ſedulo uſurpatae; praecipue quia remediis totum corpus afficientibus parum vagina afficitur.

SURGEON GEN'LS OFFICE LIBRARY.

Ulcera

Ulcera autem, si quando gignantur, non nisi arte tolluntur; nec unquam sponte, ut altera morbi forma, saneſcunt; quamvis insuper primo solummodo *localis* affectio sint, cito ni sublata, totum corpus afficiunt, et ipsam syphilida inducunt.

Multa fuerunt consilia adversus illa propoſita; existimata sunt enim affectiones ab universo corpore jam infecto orientes, vel ex neceſſitate, quandocunque prognata, id inficientia.

Naturam eorum *localem* celeberrimus noſter *Monro* jamdudum comprobavit; monuit quoque, ut causſtico, ob hoc propoſitum in penicillum formato, et omni ulceris parti admoto, quam citiſſime tollantur; nec non ut iteretur haec applicatio bis terve indies, usquedum, rejectis compluribus cruſtis, ulcera melioreſcant; monuit praeterea, ut, cum majora sint, vel male tractata fuerint, propter syphilida deinceps insecuturam praeveniendam, hydrargyrum ore assumatur.

Hoc modo et ulcera sanantur, et de universo corpore infecto cavetur; non autem, ut quidam putarunt, veneno in sanguinem retropulso, sed omnino sublato.

Tractantur et alio modo ulcera; scilicet, specialem in vulgarem exulcerationem mutando, *mercurio corroſivo ſublimato, praecipitato rubro, praecipitato albo, unguento caeruleo forti*, aliisque, partibus affectis applicatis: illa enim, cum ulcera contigerint et inflammaverint, eorum indolem veneream dirimunt, atque propterea morbum tollunt.

Medici alii, haec ambo consilia periculoſa existimantes, volunt ulcera solummodo emundari, et, donec omnino sanantur, hydrargyrum ore assumi: contendunt enim, tale consilium tutiſſimum esse, et morbi omnino sublati indicio fore ulcera evaneſcentia. Illis autem multa nec laevia objici possunt; etenim, quo diutius manent ulcera, et quo latius serpunt, eo magis

gis viri abſorptionis periculum augetur; igitur, quo maturius tolluntur, eo ſecurius univerſum corpus.

Mea autem ſententia, non niſi certo quodam tempore ulceribus venereis convenit hydrargyrum; nec facile de hoc tempore ſtatuitur; et idcirco, ſi primum conſilium non omnino tollat, atque ſi inflammatio ſubeat, periculi non expers hydrargyrum; ab eo enim inter inflammationem adhibito ſaepius, ſi rite reminiſcor, praecipue cum phymoſis et paraphymoſis adfuerunt, quam in omni alio caſu, ſyphilida prognatam obſervavi; nam fauces exinde cito affectas novi.

Propterea opinor, inflammationem a corporis habitu pendentem, quae fere major vel minor hanc affectionem comitatur, primo tollendam eſſe, et magis adhuc, ſi quaſi eryſipelatoſa videatur; ea autem decedente, nec alia irritatione, quam quae rite venerea eſt, manente, tunc hydrargyrum convenit.

Ut tollatur inflammatio, opium hora ſomni aſſumptum, et corticem Peruvianum interdiu, praeſtare cenſeo, quoniam viri abſorptioni multo magis quam hydrargyrum obſtant: Quum vero inflammatio minuitur, aut, ab initio, vel nulla vel exigua fuerit, hydrargyrum adhibendum eſt, donec ulcera ſanantur, vel paulo diutius; et haec ratio ſola eſt quae exulcerationis indolem a ſpeciali in vulgarem mutet.

Aliquando poſt multum hydrargyrum uſurpatum, ulcera venerea reſtant pertinacia; ea autem cauſticum lunare vel alia *eſcharotica* tollent.

Si vero non ut ſupra poſitum curentur ulcera, acri inflammationi ſaepe ſunt cauſae; unde phymoſis et paraphymoſis, quae ſubinde ſed rarius a gonorrhoea proveniunt; quacunque autem ratione hae inducantur, convenit id medendi conſilium quo ulcera inflammata tractantur; attamen, cum a gonorrhoea

provenerint,

provenerint, adhibenda ſunt remedia, quibus inflammatio omnigena tollitur, et diutius, abſque hydrargyri uſu, quam cum ab ulcere oriuntur.

Incipiente phymoſi, aqua tepida, pauxillo opii immiſto, inter glandem et praeputium injicienda eſt; applicanda ſunt cataplaſmata emollientia, adjecto opio, vel quovis ſaturnino; ſedulo et crebro quoque fomenta uſurpanda, et opium ſumendum.

Decedente inflammatione, injectiones, quibus immiſcetur quoddam ex hydrargyro confectum, et praecipue *mercurius ſublimatus corroſivus*, utiles erunt; omnino autem neceſſe eſt, ut hydrargyri aliquid ore ſumatur, quamprimum inflammatio decreſcere inceperit; et eo per idoneum tempus uti oportet.

In phymoſi, inflammatione decedente, ſubinde, huc et illuc ſuper glandem, ne cohaereant, movendum eſt praeputium; proderit quoque, ſi aeger queat urinam ſuam inter id atque glandem retinere, et ſi poſt urinam emiſſam injectio iteretur.

Aliquando pus diutius incarceratum per praeputium quaſi ex abſceſſu quovis erumpit; aliquando, praeputio ipſo decidente ſponte, vitium definit.

Attamen, omnibus fruſtra tentatis, ſaepe incidendum eſt ad ejus latus praeputium; tunc ulcera in modo priori tractanda.

Glande et praeputio multum inflammatis, ſi quando hoc ultra illam vel caſu retrahatur, vel a natura arcte conſtringat, et non obduci poſſit, paraphymoſis eſt, dolorem multum adferens, nec periculi expers; etenim inter alias cauſas una eſt, quae mechanice agit, et, non ſublata, ad gangraenam inducendam ſufficit: Si haec curationi ſupra memoratae non cedat, praeputium aeque ac in phymoſi incidendum eſt, ne amplius conſtringat; difficilius autem hoc quam in phymoſi, quia par-

tes

tes conſtrictae iis, quas inflammatio arripuit, obteguntur: Incisione peracta, melius erit, partibus morbosis jam retectis, in priori ſitu praeputium manere, nec ſuper glandem obduci; ne phymoſis exinde fiat, et ut ulcera facilius inſpiciantur.

Nonnunquam, leniori exiſtente tumore, conſtante et aequali niſu, glandem in manu comprimere proderit; forte enim ejus corpus cavernoſum ex hoc adeo minuetur, ut praeputium vi exigua ſuper glandem inducatur; levis autem et brevis ſit haec compreſſio, ne exaſperetur inflammatio et gangraena forte oriatur.

Inter haec, ambo vitia curanda oportet *, *colem ſurſum ad ventrem deligari*, et ab omni irritatione vacuum eſſe aegrum; atque revera per totum morbum convenit illum recumbere; hoc enim ad ſanitatem haud parum confert.

Haecce ulcera decedentia, proclivitatem ad verrucas vel condylomata efformanda linquunt; pertinaciter moleſtant haec, et in quibus curandis nunquam neceſſarium eſt hydrargyrum; vel forfice decerpenda ſunt, vel cauſticis exedenda: ſabinae quoque folia contrita, cum vel ſine aerugine, ſaepe utilia ſunt. Omnia autem haec, inter hydrargyrum adminiſtrandum, ſi fieri poteſt, tolli oportet; tunc temporis enim facilius cedunt; et aegri animum a metu curationis non rite abſolvendae liberant.

Illa, quae ab ulceribus venereis ſaepe orientia, bubones nominantur, proxime tractanda ſunt; hi ſemper externa lymphatica et glandulas afficiunt, nec unquam ad interiora deſcendunt. Diſceptatum eſt, an reſolvantur an ſuppurare permittantur oportet: Qui non reſolvi oportere contendunt, ſemper

* Vide Celſus.

per periculum exinde viri per totum corpus diffusi, et syphilidos oriendae subesse asseverant. Alii opinantur, periculum talis affectionis inducendae, a tanto venereo ulcere facto, multo gravius instare. De utraque sententia multa proferri possent; talibus autem hic non vacat. Constat enim multa incommoda, et ab eorum resolutione et suppuratione orta esse; atque credo mutationem, quam virus in his glandulis subit, parum intelligi.

Quoniam vero apud medicos critica bubonum natura obsolevit, omnes fere eos semper resolvere hortantur; et ad hoc efficiendum praecipiunt, hydrargyro omnes partes, quae cum glandulis morbosis recta communicant, perfricari; et hoc in usu esse, donec resolutio perficitur. An vero tale consilium omnino conveniat, multum dubito; opinor enim bubones, praecipue ex gonorrhoea orientes, ab inflammatione et irritatione saepe pendere; ideoque haud raro sympathicas affectiones solummodo esse, ex quibus vix ulla viri absorptio timenda, si rite tractentur; idcirco periculum instare, ne hydrargyro exasperentur.

Ob hoc censeo bubones in sympathicos et idiopathicos, vel eos qui ab irritatione sola, et eos qui a viri absorptione oriuntur, distinguendos esse; opinor autem hydrargyrum ad omnes bubones penitus sanandos, idiopathicos praesertim, convenire.

Si vero stimulo est hydrargyrum, et solvit morbum excitando irritationem ejus contrariam, cuique irritatio morbi impar est; hancque irritationem per idoneum tempus protrahendo, non seipsum cum veneno commiscendo et obtundendo, vel ut acidum alkali, medium reddendo, nec iterum exinanitionibus factis, profit; videretur, quasi ipsas easdem partes, nunc facile propter earum conditionem irritans, inflammationem so-

lam

lam promoveret: Atque revera exempla fere quotidiana monſtrant hydrargyrum, ullis partibus propter alia conſilia admotum, inflammare ſolere; propter quod opinor hydrargyrum, ore aſſumptum, meliora quam per morboſas partes tranſeuns, polliceri; et, ſi infricetur, oportere, ut ad femur ſanum prae altero admoveatur.

Auxilium, quod emetica adverſus bubones adferunt, videtur ab irritatione in partibus remotis, ſed conſentientibus, excitata oriri; quod opinioni jam relatae favet. Praeterea bubones ſaepe hydrargyro, per partes affectas immiſſo, exaſperantur, et magis adhuc ad pejora ruunt; ſed leniuntur regimine antiphlogiſtico, alvo liquata, et ſanguine a partibus ipſis hirudinibus detracto.

Sed inutilis haec ratio, cum tumores parum dolent et tarde provehuntur; tunc hydrargyrum ſtatim utendum; nec niſi tumoribus reſolutis, vel etiam paulo ſerius, id intermittendum: et hoc quidem neceſſarium eſt, etiam ſi ulcus quod eis in cauſa fuit, aliquamdiu ſanatum fuerit.

Multa quoque externa auxilia laudata ſunt; quoniam vero commoda a lanula duplicata, et proxime buboni admota, ut ab omni frigore defendatur, provenientia, tam ſaepe novi, eam propterea laudo praecipue: frigida autem ſemper nocere opinor.

Sed interdum bubones, omni ratione diſcutiendi fruſtra tentata, ſuppurant; atque dubitatum eſt, an oportet ut ſua ſponte rumpantur, vel cauſtico aut ferro aperiantur; horum utrumvis conveniet, modo vulnus non majus fiat, quam quod puri exitum praebeat: non deſunt autem qui cauſticum anteponunt, ob doloris minus illatum, et vulnus ab eo facilius ſanatum. Probroſa autem revera illa crudelis conſuetudo humanae carnis fruſta excidendi, ſcilicet, ut ulcerum orae callo-

ſae

loſae tollantur; quia ab illa impeditur curatio, et mortis ipſius periculum infertur.

Bubone autem aperto, an hydrargyrum adhibendum? quod ad meipſum, opinor, utile fore, quamdiu aegrum non manifeſte laedit, vel donec bubo omnino ſanatur, atque etiam paulo diutius; quia incertum eſt per quantum temporis venerea indoles maneat: Sed animadvertenda eſt praecipue facies quam prae ſe fert bubo; et hydrargyrum, opio et cortice Peruviano in ejus locum ſuffectis, intermittendum eſt, quamprimum ſubſit ea facies, quae *mercurialis* nominatur; ut et, ſi nec cedat nec attollatur, neque ſpem ſanitatis praebeat; magis adhuc, ſi hydrargyrum non niſi eum male afficere videatur; atque, ut in hoc impendatur cura, eo magis neceſſarium habeo, quia ab illo praetermiſſo bubones multo diutius perſtant.

Strumoſi vel gangraenoſi aliquando fiunt bubones, et inde difficilis curatio; opium propterea, cicuta, mezereon, ſarſaparilla, decoctum Luſitanicum, fiunt neceſſaria, et in mari aegrum immergi atque in rus ſe recipere *.

* Bubonum criticae naturae mihi exemplum contigit obſervare. Quidam peregrinus, ex meis familiaribus, hoc morbo laboravit, inſigni inflammatione et glandem et praeputium occupante: ab iis profluvium largum erat; inſecuta eſt phymoſis, et dierum ſex ſpatio utrumque inguen dolere coepit; detractus eſt ei ſanguis, et ſale *Glauberi* ſoluta alvus; noluit autem ille, ne ſpiritus ex eo foeteret, hydrargyrum aſſumere; bubones ſuccreverunt, et phymoſis deceſſit; glande retecto, ulceribus obſeſſa ſunt omnia quae glandem circumjacent: Hoc in modo perſeveravit ille, partes affectas magna cura emundans aqua vegeto-minerali. Bubones ad ſuppurationem perducti ſunt, et ſua ſponte rupti; penis cito omnino vitii expers evaſit; bubones quoque in ſpatio ſex quaſi hebdomadum ſanata ſunt: nulla vero hauſit medicamenta, niſi ſexies ad alvum ciendam ſales; nec extrinſecus adhibuit aliquid niſi aquam veg. min. Adeo autem debellatus eſt morbus, ut per integrum annum, ſcilicet, quamdiu in noſtra inſula commoratus eſt, ejus redin-

Ad ſyphilida nunc perventum eſt; quae quidem ratione antea memorata gignitur; ſcilicet, virus venereum ex partibus affectis reſorptum, et ſanguini immiſtum, totum corpus corrumpit; ab eo hic vel illic, praecipue vero ad fauces internas, et earum partes circumjacentes, ad corporis ſuperficiem, vel externam vel internam, deponitur, ulcera facturum. Haec univerſa lues, fere curationi ſupra poſitae quamdiu tempus, per quod perſtiterit et corporis habitus poſtulant, uſurpatae cedit; atque propterea, quae ad eam pertinent, in unum congeram.

In noſtris regionibus, hydrargyrum ſemper in uſu fuit; et hujus morbi remedium ſpeciale appellari poteſt, praecipue in hoc aevo, quo opium adverſus mala, quae ab illo oriantur, pollens, et praeterea beneficia illius promovens, adjicere didicimus; ut et ex quo tempore compertum eſt, id diutius vel largius adhibitum, ut olim, non modo ſupervacaneum eſſe, ſed nocere.

Expectetur forſan, rebus ſic ſe habentibus, me catalogum medicamentorum variorum, ab hydrargyro paratorum, prolaturum eſſe; ſed quoniam, meo ſaltem judicio, illa, quae ſequuntur, omni conſilio reſpondebunt, an quae extrinſecus an quae intus adhibenda poſtulatum ſit; et quoniam egregius noſter Black, catalogum ampliſſimum exhibuit, ſolummodo haec recenſebo: ſuntque unguentum mercuriale forte, pro uſu externo; pilulae mercuriales P. E. mercurius cinereus, calomel, mercurius calcinatus, et mercur. corroſ. ſublim. pro uſu interno.

Adverſus

redintegrationis ne minimum indicium eſſet. Igitur veriſimile eſt, quod effluvium e bubonibus omnia ſecum abſtulit.

Adverſus hunc morbum, hoc vel illo tempore, diverſa conſilia inſtituta ſunt, ut modus qui agit *ſalivatione*, *fumigatione*, *derivatione*, *extinctione*, et nuper *abſorptione*, medicamento gingivis applicato.

Sed, quoniam hydrargyrum in ſuperficiem * *organicam*, qualis eſt ventriculi abſorptum, et ab ea per corpus diffuſum, maxime proficere cenſeo, et etiam magis adhuc opio adjecto; quoniam ab eo hydrargyrum quemcunque hominem minus irritat, et quoniam certius ſcopum ſuum medicus collimat, illam medendi rationem ſolam verſabo; et propterea, de ea utenda, tria conſilia proponam.

1*mo*, Ut irritatio, cui parendae nimis proclive eſt corpus, minuatur.

2*do*, Ut irritatio ei adverſa, cuique non par eſt, excitetur, et per idoneum tempus promoveatur.

3*tio*, Ut ſignis morboſis, inter haec duo conſilia proſequenda orientibus, occurratur.

Quod ad primum conſilium ſpectat, cum hydrargyro opium commiſcendum eſt, ut hoc, donec illius, quantum ſat ſit ingeratur, ſtimulus, quo corpus irritat, obtundatur, et corpus poſtea ex conſuetudine facilius ferat.

Quod ad ſecundum, quoniam curatio praecipue ab hydrargyro quam plurimo corpori ingeſto pendet; cavendum eſt igitur omni ratione, quamdiu fieri poteſt, ne una cum excretis exeat; vel conandum eſt, ut hydrargyrum tantam irritationem cieat et ſervet, quanta ad irritationem veneream penitus tollendam ſufficiat.

Si hydrargyrum aliquam ex ſecretionibus valde augeat, intermittendum

* Haec ratio illa *irritationis* a cel. Niſbet appellatur.

termittendum eſt per aliquod tempus, et opium uſurpandum ſolum; cum vero iſtae auctae ſecretiones ad ſolitum ſtatum redeunt, ad hydrargyrum opio commiſto denuo confugiendum eſt; atque hoc modo progrediendum, donec curatio fuerit perfecta, et ſanitas reducta.

Similia ſunt conſilia eligenda iis, qui hydrargyrum infricari volunt, hora ſomni opio aſſumpto; et oportet, ut mane hydrargyrum infricetur, nempe, quia tunc optime vaſa abſorbentia ſuo munere funguntur.

Quod ad tertium conſilium (ſcilicet ut ſignis morboſis, inter conſilia jam memorata proſequenda orientibus, occurratur) utilia erunt multa, in quibus adminiſtrandis, ratio ad res, quae forte obveniant, habenda eſt (quaeque ſolito more occurrenda ſunt) nec non ad aegri irritandi facilitatem, atque praeterea ad effectus quae medicamenta edunt; caute enim diſtinguere oportet inter tales effectus, et qui ab aliis cauſis oriuntur.

Maximi autem momenti eſt, ut, per curationem totam, ad corporis habitum reſpiciamus; hoc autem non niſi nuperrime ea accuratione, qua par eſt, animadvertebatur; victu tenui, multo calore, et cubiculo clauſo, olim imperatis. Nunc autem comprobavit experientia, omne, quod corpus debilitat, ſecretiones augere, atque propterea fauſtis effectibus, quos aliter hydrargyrum ederet, obſtare; igitur victus lautior, et quaecunque nutriunt, (evitato omni immodico,) permittenda ſunt.

Quoniam compertum eſt, morbum in plagis calentioribus citius et facilius decedere, oportet corpus a frigore defendi; et, ſi frigeat aër, vel res domeſticae poſtulent ut aeger ſub dio verſetur, totum induſiis laneis obtegi; omnibus enim ſecretionibus praeſtat ea per cutem; ſi igitur non omnes evitari queant, (nec equidem evitandae ſunt,) haec tutiſſima. Sed, quan-

docunque

docunque oportet, ut hydrargyrum largius adhibeatur, talis veſtitus omnino neceſſarius eſt.

Et venaeſectio et balneum calidum, ante hydrargyri uſum, aliena ſunt; illa enim infirmat; hoc cutem adeo teneram efficit, ut frigori praecipue obnoxia fiat, ut et medicamenti minus patiens; forte autem, cum cruſtae venereae appareant, balneum calidum non inutile erit.

Ad alvum, ſi ſolutior fiat, quod ſaepe accidit, ſiſtendam, praeſtat opium; ea autem ſit alvus quae in ſecunda valetudine; ſic enim tutiſſima.

Si autem ptyaliſmus proritetur, gargariſmis aſtringentibus, ut roſarum tinctura, vel corticis Per. decocto, et acidulo reddito, vel potius opio valde diluto, reprimendus eſt; hi vero, antequam aliquid tale evenerit, magis quam poſtea, proficiunt; nam, cum ſaliva profluere inceperit, non facile cohibetur; curationi nec non obſtat, quia propter eam, praecipue cum largior ſit, neceſſe eſt ut hydrargyrum intermittatur.

Æger videlicet, quod ad corporis munera cuncta, quantum fieri poteſt, quam proximus ſanitati debet ſervari; et, *ſecundum artem* omnia quae injucunda ſubeunt, occurrenda ſunt.

Dum ſyphilida debellamus, quaecunque *locales* affectiones eam comitentur, remediis localibus aggredienda ſunt; attamen ex iis quaedam, nempe nodi, etiam poſt hydrargyrum rite adhibitum perſtant, epiſpaſticis vel hydrargyro infricato tollenda; ſi vero haec parum proficiant, incidendi nodi et ulcera vulgaria reddendi; quia exinde plerumque cito ſanantur.

Tempus per quod convenit talis curandi ratio non omnino ſtatuere licet; etenim, quomodo hydrargyro corporis habitum afficiat reſpicere oportet, ut et, ſi non tollantur ſigna morboſa,

quomodo

quomodo ſe habeant; ſed diverſum hoc tempus erit in diverſis hominibus; nec abſtinendum eſt, ſi periculum non ſit corporis habitus ab hydrargyro laedendi, uſquedum omnia morboſa evanuerunt, vel paulo ſerius; tempus autem quo hydrargyrum abjici oportet, arripere hoc medici labor, hoc negotium: Annotandum eſt autem, quod omnia, quae revera ſunt ex hac lue profluentia ſerius ocyuſve hydrargyro cedunt; alia autem, praeſertim ſi ex eo inducta fuerint, non ſolum non ſaneſcunt, ſed etiam exinde exaſperantur.

Oportet autem ut de morbi indole maligna, non a ſignis, quae obviam forte ſe ferant, ſed a corporis habitu, atque vitio ipſo, hydrargyri plus minuſve effectibus repugnante, ſtatuamus.

Utcunque res ſe habeant, convenit, fere per quatuor, nec ultra octo hebdomadas, hydrargyrum; ſed cum penitius inſederit malum oſſa, et eorum membranas corrumpens, utendum eſt diutius.

Quod ad tollenda mala, quae ex hydrargyri abuſu proveniunt, et quae rite venerea adeo ſimulant, ut ea ipſa eſſe nonnunquam habeantur, varia medicamenta in uſu fuere; ut cicuta, mezereon, decoctum Luſitanicum, et ſarſaparilla *; nuper autem monſtravit experientia, opium ſolum mira praeſtare commoda; atque, ex malis ab eo ſublatis, ſyphilida ipſam, ſine ullo alio auxilio poſſe tolli, exiſtimatum eſt; ſed, quia niſi poſt hydrargyrum adhibitum, id talia commoda praeſtitiſſe, exempla non ſatis comprobarunt; reſtat hoc experientia ſtatuendum. Haec enim mala ab hydrargyro nimium irritante profluere videntur; igitur veriſimile fit, quod opium adverſus

* Vide Dr Fordyce.

adverſus ea praecipue polleret, et quod ejus effectus haud paulum adjuvaret decoctum ſarſaparillae, et ſimilia.

Nec a marium curatione multum diſcrepat ea foeminarum; ſed, quoniam illae facilius irritantur, non tam large, quam viris, adhibendum eſt hydrargyrum; opium igitur magis neceſſarium.

Eiſdem conſiliis curandi ſunt quoque infantes, ratione habita ad eorum teneram aetatem, et quod facile irritantur: Hydrargyrum praeterea nutricibus etiam ſanis convenit, et infantibus remedio erit, lacte eo imbuto. Quod conſilium forte nuper enixis praecipue ſit utile; quanquam cel. Young hydrargyrum non cum lacte commiſceri opinatus eſt, atque infantes, aëre mercuriali recepto, inter ſpirandum ſanatos eſſe; ſed clarus Hamilton lactis mulieris, quae multum hydrargyrum ſumpſerat, evaporatione ipſum hydrargyrum comparavit.

Inter hunc morbum tractandum, tot et tam varia ſecum adferentem, vix omnia quae forte obvenirent, ea attentione qua debent verſare potui, ideoque non niſi leviter perſtrinxi quaedam; attamen, ſpero hanc diſſertationem non omnino indignam fore Profeſſoribus hujus Academiae, quibus nemo me devinctior eſt.

Quanquam ad decoctum Luſitanicum conficiendum praeſcripta ſunt multa, et ingens farrago medicamentorum uſurpata; id tamen non niſi duobus componi videtur; praeſcriptum enim firma authoritate ratum, et ab amico apud Luſitaniam

niam degente, mihi retulit cel. Niſbet (a cujus *praelectionibus* de hoc morbo multa accepi) nec aliud eſt quam hoc:

℞. Radicis ſarſaparilla uncias quatuor,
Seminum petroſelini Macedonici drachmas duas,
Aquae fontanae libras ſex.
Coquantur ſuper ignem lenem ad libras quatuor.

Etiam in noſtris regionibus, ab hoc medicamento fugata ſunt mala venerea, adjectis petroſelini vulgaris, loco Macedonici, ſeminibus.

SURGEON GEN'LS OFFICE
LIBRARY.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1786
E.1